



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De fure, qui ab Episcopo Leodiensi ob versiculum psalmi 105. sententiam  
mortis accepit, cap. 20

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**C**irca illa tempora quando positus fui ad literas, fur quidam in cippo tenebatur ante portam Martis Coloniae, quem sacerdos quidam satis laudabilis vitae, nomine Eustachius, eiusdem portae capellam regens, inuisit, confessionem audiuit, & per elemosynas suas visitauit. Et, sicut mihi retulit idem sacerdos, saepe ei ex industria mittebat scyphum suum, in quo ipse bibere consueuit, viderunt hoc homines, & mirabantur. Et cum honor à sacerdote tali furi exhibitus delatus fuisset ad iudices, hominem innocentem putantes, dimiserunt illum. **APOLLONIVS**: Quare non consequuntur omnes rei huiusmodi beneficia per confessionem? **CÆSARIVS**: Non expediret, quia multis fieret occasio peccandi, vult Deus aliquando huiusmodi miracula fieri per confessionem exempli causa, vt quantum animæ, cuius medicina est, valeat, per signa exteriora ostendat. Bene vult vt reus post confessionem puniatur in presenti, ne eum in futuro puniat, quia non punit bis in idipsum. De hoc tibi dicam manifestum exemplum, à quodam ordinis nostri Abate mihi relatum.

*Notū ē.*

## CAPVT XX.

**I**n ecclesia Leodiensi Episcopus quidam fuit, vir religiosus ac timens Deum: die quadam, cum sederet in capella sua solus tempore quadragesimali, & psalterium lectitando venisset ad locum illius Psalmi 105. scilicet: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Ingressus quidam ex officio, orationem eius interrupit, dicens: Domine, quid iubetis vt fiat de illo criminoso? Episcopus misericordia motus, respondit illi: Parce pauperi propter sacrum tempus quadragesimæ. Recedente iudice, vt reum dimitteret, Episcopus reflexit oculos ad Psalmum dimissum, statimque occurrit ei versiculus; Beati qui custodiunt iudiciu, & faciunt iustitiam in omni tempore. Qua voce territus, ac si diuino responso correptus esset, & etiam instructus, sicut reuera fuit, iudicem reuocauit, dicens: Discute causam diligenter homi-



hominis, & iuste iudica illum : sicque ob vocem propheticam reus vita priuatus est. Fortè iste contritus decessit, & si superuixisset, deterior factus, mortem æternam incurrisset, sicut suprâ legitur de hæretico Straesburgenfi, per confessionem sanato & recidiuo. APOLLONIVS : Placet quod dicis. CÆSARIVS : Confessio summum remedium est in periculis, etiam in mari longè.

## CAPVT XXI.

**P**eregrini quidam, sicut magister Ioannes Xantensis populo recitauit, in suis stationib. crucem prædicans, cum tempore quodam transfretarent in succursum terræ sanctæ, orta est eis in mari tempestas tam valida, vt naus ipsa operiretur fluctibus. Fremebant venti, excitabantur fluctus turbulenti, nutabant viri fortissimi, spes omnis nautarum defecit; videntes ante oculos mortem, cœperunt singuli, vnusquisque sibi vicino de peccatis suis facere confessionē, & meritò : nam propter vnus hominis peccata: Dominus eandem excitauerat tempestatem: erat enim in nauē illa homo quidam miserrimus, homo fœtidissimus, cuius peccata fuere tam graua, tam turpia, tam horrenda, tam in quantitate quam in qualitate, vt nec ipsum mare pondus illorum posset portare. Cum natura eius sit, ejicere immunditias quasilibet corporales, quomodo æquanimiter sustineret tantas immunditias spirituales, id est, peccata creatori suo contraria? Timens homo ille peccator vitæ suæ, simul & animæ, & propter se omnes alios periclitari cōsideras, surrexit & ait: Audite fratres, audite, propter peccata mea tēpestas hæc orta est, ego occasio sum tanti periculi, rogo vt audiatis confessionē meam. Tacentibus omnibus, cœpit voce valida tantū venenū peccatorū euomere, vt aures humanæ etiā horrerent audire. Mira clementia Dei, mox vt massā iniquitatis per cōfessionē eiecit, mare furens siluit, & facta est tranquillitas magna, ita vt omnes mirarētur: Miris mirāda succedunt, statim vt naus ad littus peruenit, audita peccata Deus de memoriis singulorum deleuit. Bene per-